



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Titulus V. De conditionibus Appositis in dispensatione aliisque contractibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

traderet, uxore qualibet integrè se tradente viro; non enim juri naturali repugnat, ob aliquem finem honestum pericula aliquorum damnorum permittere, sicut permittere potest innocentis occisionem, bonorum alienorum acceptionem; ita ferè Pont. Sanch. Laym. *LL. cit. Castrop. cit. num. 4.* sed neque polygamia ita juri naturæ repugnat, ut nullo casu cohonestari & licita fieri possit, sicut blasphemia, perjurium, mendacium; sive polygamia, non est ex proprio objecto suo intrinsecè mala, sed solum ex adjunctis ordinariè incommodis, quæ in certis casibus abesse, vel aliis mediis compensari possunt, Pirh. *l. c. citaris Sanch. ubi ante num. 8.* Laym. *num. 7.* Covar. in *epito. l. 4. p. 2. c. 7. §. 3. num. 1.* Unde jam inferitur, quòd tamen matrimonium unius mulieris cum pluribus viris fortè plura post se trahat incommoda, & repugnet primario fini matrimonii, qui est generatio prolis, utpote quæ incerta erit, & ex commixtione plurium vitorum impeditur, ut vel nunquam vel rarius subsequatur; item fini secundario, nimirum tranquillæ cohabitationi & paci conjugum; ubi enim multa

capita sunt unius corporis, nempe multi viri in familia, ibi innumera rixæ; propter quod & nunquam permillum in antiqua lege fuit tale conjugium unius famina cum pluribus maritis, Sanch. *l. c. num. 4.* &c. Nihilominus & Deum ex fine honesto ipsi noto dispensare quodque potuisse in tali polygamia unius famina cum pluribus viris Sanch. Laym. Pont. Castrop. *LL. cit.*

3. Resp. tertid: Certum esse dictam dispensationem seu concessionem plurium uxorum cessare à lege Evangelica, ut constar ex illo *Matth. 5. & 19.* ubi Christus matrimonium reduxit, ad primam sui institutionem. Castrop. *num. 5.* juxta *c. gaudemus, de divortii & Trid. sess. 24. c. 2.* Unde & infideles ad fidem conversi cogendi sunt, ut solum primam uxorem retineant aliis dimissis. Pirh. *l. c. num. 130.* Porro nulla deinceps consuetudine effici potest polygamia licita; quia nulla consuetudo juri divino & naturali derogare potest, Sanch. *cit.*

*d. 8. num. 14.* Pirh.  
*l. c.*

## TITULUS V.

### De conditionibus appositis in desponsatione aliisque contractibus.

*Quest. 172. An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione honesta de præterito, præsentè & futuro.*

1. **R**esp. ad primum: Matrimonium celebratum sub conditione de præsentè vel præterito non suspenditur, sed actu contrahitur, vel non contrahitur, prout conditio existit vel non existit, conditio siquidem si præsentè est vel præterita, contractum non suspendit, sed purum relinquit; unde & talis contractus non est propriè conditionalis; cum natura conditionis sit suspendere actum, usque ad eventum illius. *Inst. de V. O. §. sub conditione.* Sed neque ut tale matrimonium actu valeat, non requiritur, ut conditionis existentia contrahentibus sit nota. Sanch. *l. 5. d. 7.* Gasp. Hurt. *d. 7. diff. 2.* Castrop. *p. II. §. I. num. 3.* contra Cönnick, *d. 29. du. I. num. 6.* Tamen enim nota non sit conditionis existentia aut præteritio, est tamen notus utriusque consensus sub conditionis existentia aut præteritione, non sub conditionis notitia. Neque etiam consentiunt in matrimonium sub conditione nobilitatis, V. G. vel virginitatis notæ, sed sub conditione nobilitatis existentis, adeoque consensus utriusque notus est, si nobilitas existat. Hoc verum est, quamdiu existentia conditionis nota non est, tamdiu non constare, an actu sit matrimonium. Sed nec prius consummari posse, & si prius habita copula tempore non existentis conditionis, matrimonium manere actu nullum & exinde non evadere actu validum.

2. Resp. ad secundum primò: Nullibi prohibitum (adeoque licitum juxta illud *gl. in c.*

*inter corporalia, de translat. Epif. v. non inveniuntur; concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur*) contrahere matrimonium sub conditione non secus de futuro ac de præsentè ac præterito ignoto; ob plurima tamen incommoda consultum non esse contrahere matrimonium sub conditione de futuro nisi specialis urgeat causa aut necessitas, ut cum aliis Gobath. *tr. 9. num. 138.* suadens etiam parochis, ne tali matrimonio assistant.

3. Resp. ad secundum secundò: Matrimonium celebratum sub conditione honesta necessario futurum, ac ut tali ab utroque contrahentium cognita non suspenditur à conditionis eventum: eò quòd talis conditio non tam ad suspendendum consentum, quàm ad ejus certitudinem demonstrandam appositæ censi debet, ita ut sensus verborum sit; sicut certum est, hoc vel illud futurum, ita certum esse volo, me te accipere in uxorem. Sanch. *l. 5. d. 2. num. 6.* Rebell. *p. 2. de obligat. just. l. 2. q. 10. num. 13.* Castrop. *l. c. §. 2. num. 2.* Idemque esse de conditione contingente, infallibiliter tamen futura. V. G. si Antichristus venerit, docent, Sanch. *l. c.* Castrop. *l. c.* Rebell. *l. c. num. 14.* contra Pont. *l. 3. c. 1. num. 13.* Henriq. *l. 11. de mat. c. 12. num. 4.* &c. putantes suspendi consentum usque ad conditionis adventum propter incertitudinem, quo die eventura. V. G. quo die venturus sit Antichristus; verum non contrahitur sub hac incertitudine; cum non dicas te ducere Mariam, si intra tale tempus Antichristus nascatur; sed simpliciter; si Antichristus nascatur; quod certum est & infallibile, & sic cognitum.

4. Resp.

4. Reſp. ad ſecundam tertio: Matrimonium celebratum ſub conditione honeſta contingenter futura ſuſpenderit uſque ad conditionis eventum, Eſt communis, & expreſſe colligitur ex *c. de illis. c. ſuper eo. c. ſin. h. t.* Probabiliſ verò videtur, matrimonium tale adveniente conditione ſuſſiſtere, abſque novo conſenſu, ut Abb. in *cit. c. de illis. n. 5.* Sanch. *L. 5. d. 8. n. 5.* Cõn. *d. 29. du. 1. concl. 3.* & *Castrop. n. 5.* Nav. & alii contra Pont. *L. 3. c. 14. n. 3.* Henriq. *L. 11. c. 11.* Sotum in *4. d. 29. q. 2. a. 1. concl. 3.* S. Bonav. &c. Ratio reſponſ. eſt, quia conſentiens ex tunc in matrimonium ſub conditione futura verum conſenſum de præſente habet, qui, ſi adveniente conditione non fuit revocatus, eſt præſens moraliter, & omnino perfectus, & abſolutus, adeoque ſufficiens, non ſecus; ac contingit, dum matrimonium ſine conditione de præſente contrahitur. Sic enim prius conſenſum ſuum exprimit vir ſub conditione tamen imbibita; ſi mulier conſentiat, qua conſentiente, opus non eſt, ut vir denuo conſentiat; ſed ejus conſenſus, qui in ſe conditionatus erat ante mulieris conſenſum, redditur abſolutus & perfectus adveniente mulieris conſenſu. Huic ſententiæ favet *L. prior ff. qui prior. in pig. & l. hac vendito. ff. de contrah. emp.* ubi ſtatuitur, pactum initum ſub conditione, eã adveniente firmum & ſtabile reddi abſque ulla additione. Neque conſenſus ille v. g. conſanguineorum ſub conditione diſpenſationis obtinenda eſt illegitimus; non enim eſt conſenſus inhabilium pro tempore, quo inhabiles ſunt, ſed potius pro tempore, quo habiles eſſe debent; ſiquidem poſita diſpenſatione & ſublato impedimento, tollitur omnis inhabilitas. Porro in eo non conveniunt AA. num ubi Trid. receptum, Parochus & teſtes intereſſe debeant, non tantum illi conſenſui matrimoniali conditionato, ſed etiam ipſi completioni conditionis. Negat id ipſum Sanch. *L. 5. d. 8. n. 24.* exemplo matrimonii contracti per procuratorem, in quo opus non eſt, ut Parocho & teſtibus conſtet de mandato procuratori dato. Uti etiam neceſſe non eſt, dum contrahunt conſanguinei, Parocho & teſtibus oſtendere diſpenſationem. Affirmat è contra *Castrop. n. 11.* cum Cõn. *d. 29. n. 15.* Hurtad. *de matr. d. 7. diff. 7. nu. 24.* eò quòd aliàs non aſſiſtant matrimonio; cum conſenſus ille conditionatus non conſtituat matrimonium, niſi eo tempore, quo impletur conditio. Unde etiam Parochus & teſtes aſſiſtere nequeunt tali conſenſui conditionato, niſi pro tempore, quo ſciunt conditionem impletam, ut Fagn. in *c. ſi conditiones. h. t.* apud Reiffenſt. *h. t. nu. 22.* Secus verò accidit in duobus illis exemplis adductis à Sanch. ſiquidem poſito mandato aut diſpenſatione, tamen ea ignota ſunt Parocho & teſtibus, illi adhuc præſentes ad ſunt conſenſui conſtituenti matrimonium, ſi mandatum & diſpenſatio exiſtunt.

*Quæſt. 173. An & qualiter ſuſſiſtat matrimonium contractum ſub conditione impoſſibili.*

**R** Esp. Conditio impoſſibilis (ſecus ac accidit in aliis contractibus, excepta diſpoſitione ultimæ voluntatis, qui omnes propterea ſunt nulli, ut conſtat ex *S. Si impoſſibilis. Inſt. de inutil. ſtipul. & L. non ſolum, de A. & O.*) adjecta matrimonio illud non irritat, ſed rejicitur, habeturque pro non adjecta, ac proinde contractum matrimoniale purum relinquit. Sic expreſſe ſtatuitur in favorem matrimonii ſpecialiter *c. ſin. h. t.* uti

idem in favorem ultimarum voluntatum diſponitur. *§. impoſſibilis. Inſt. de hered. iuſt.*

2. Porro ut conditio impoſſibilis non vitiet matrimonium, requiruntur ſequentia. Primò, ut contrahentes (intellige, ambo, ſeu uterque, ut Sanch. *L. 5. de matr. d. 3. n. 12.* Pirh. *h. t. n. 17.*) ſciant, tam conditionem eſſe impoſſibilem, quam juſrejecere hujusmodi conditiones, ſeu habere pro non adjectis. Hujus enim utriusque ſcienciæ innititur diſpoſitio. *c. c. ſin.* dum enim Papa credit, contrahentes ignaros non fuiſſe impoſſibilitatis conditionis, & legis rejicientis illam à contractu, præſumit, non ſeridò, ſed joco adjectam, adeoque in eo caſu validum pronunciat matrimonium, quòd non faceret, ſed matrimonium haberet pro irrito, ubi manifeſtè conſtaret contrahentem ignorare vel impoſſibilitatem conditionis, vel legem rejicientem illam à contractu; adeoque præſumeretur contrahentem appoſuiſſe illam animo inhærendi ei. Ita docent *Castrop. p. 11. §. 3. n. 1.* Sanch. *L. c. nu. 11.* Pirh. *L. c. n. 18.* Ponc. *l. 3. n. 3.* quamvis de cætero, ubi dubia eſt contrahentium intentio, num ſeridò & ex animo, an joco tantum adjecta talis conditio impoſſibilis, Eccleſia præſumat adjectam eſſe ex joco, adeoque valere matrimonium, perinde ac ſi adjecta non fuiſſet, idque in favorem matrimonii, pro cuius valore in dubio ſemper judicandum eſt juxta *L. ult. de ſent. & re judic. Pirh. l. c.*

3. ſecundò, ut conditio ſit impoſſibilis ex natura, & non tantum de facto; cum ea, quæ ſpectatà hominum natura ſunt poſſibilia, non abſolute impoſſibilia, ſed difficilia vocanda ſunt; adeoque ad ea diſpoſitio illa Pontificia, utpote correctoria juris communis, extendenda non ſit; cum & juſ civile conditiones illas de facto ſolum impoſſibiles non rejicit ab ultimis voluntatibus. Ponc. *nu. 13.* *Castrop. nu. 2.* Idem dicendum de conditionibus ſolum impoſſibilibus ex accidente; & ex lapſu temporis; eò quòd & hæ non ſunt ſimpliciter impoſſibiles, adeoque neque ad has decretum illud correctorium juris communis extendendum non ſit. *Castrop. n. 4.*

4. Tertio: ut conditiones illæ impoſſibiles, non tam ſint de futuro, quam de præſente vel præterito; eò quòd hæ non ſunt propriæ conditiones, ſed demonſtrationes; Pontifex verò non rejiciat eas, quæ veræ conditiones non ſunt. *Castrop. n. 5.* Ponc. *n. 12.* *Rebell. de oblig. juſt. l. 2. q. 10. §. 4. in fine.* contra Sanch. *L. 5. d. 4. n. 3.* Covar. *4. decret. p. 2. c. 3. §. 2. n. 2.* ductos hac ratione, quòd tales conditiones impoſſibiles de præſente non rejiciantur ab ultimis voluntatibus, ex *l. ſi Mevia. ff. de hered. iuſt.* ubi hæc conditio: Si filia teſtatoris vivit; rejicitur, caſu quo teſtator nunquam filiam habuerit. Ad quòd tamen reſpondet *Castrop* in his, quæ pendunt à jure poſitivo, non licere argumentari ad extendendum decretum correctorium.

5. Atque ex his jam videt, quid dicendum ad hoc, dum dicitur: conditio impoſſibilis adjecta contractui eſt potius ſignum diſſenſus; nempe diſtinguendum & concedendum: Si conditio talis apponatur relicta natura ſua, non autem ſuppoſita conſtitutione Eccleſiæ volentis, ſi contingat eam apponi, in dubio non attendendam à Judice; cum meritò præſumatur non curatam ab eo, quia eam appoſuit (niſi iſ aliud exprimat) qui contrahendo ſe conformare voluit Eccleſiæ; & quia circa alios contractus non eſt hæc Eccleſiæ conſtitutio, ideo in iis adhuc iſtiusmodi conditiones manent ſignum diſſenſus, quia relinquuntur ſuæ naturæ.



*Quest. 174. An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione turpi.*

**I.** Resp. primò: De conditione turpi, quæ substantiæ bonisque matrimonii non repugnat, v. g. duco te, si mecum fueris: omnino idem dicendum, quod de conditione impossibili, nimirum quòd habeatur pro non adjecta, prout in *cit. c. fin. b. t.* expressè deciditur. Et sic in specie tanquam turpem rejici hanc: Si te in concubitu virginem invenero: tradit contra Sanch. Castrop. *loc. cit. §. 4. nu. 2.* eò quòd id nunquam intelligi possit de concubitu licito; cum is esse nequeat ante matrimonium, prædictus autem concubitus, utpote tanquam conditio postulatus ad matrimonium, necessariò illud præcedere debeat.

**2.** Resp. secundò: Condiciones turpes substantiæ bonisque matrimonii contrariæ (quales sunt, quæ cum vinculo matrimonii consistere nequeunt, aut contraveniunt obligationibus ex matrimonio ortis, v. g. contraho tecum ea conditione, donec aliam pulchriorem invenero, quæ repugnat perpetuitati. Ut te prostituas alteri, quæ pugnat cum fidelitate, ut sterilitatem procures, proles abjicias &c. quæ repugnat fini matrimonii) non rejiciuntur à contractu matrimonii, sed eum omnino vitiant juxta expressum textum *cit. c. fin. b. t.* Sic in specie conditionem nunquam reddendi debitum reddere matrimonium nullum; eò quòd hæc obligatio subsistere nequeat cum obligatione reddendi debitum, quam secum trahit matrimonium, tradunt Sanch. *l. 5. d. 10.* Laym. *l. 5. ir. 10. c. 7. num. 9.* Henriq. *l. 11. c. 4.* Covar. & alii. Negant tamen id ipsum Castrop. *num. 6.* Rebell. *l. 2. q. 10. f. 3.* Cõn. *d. 24. du. 4.* Hurad. *de matr. d. 7. diff. 9. num. 33.* eò quòd in sano sensu sumpta non repugnet matrimonio, quippe quod ex sua essentia includit obligationem justitiæ reddendi debitum, non nisi quoties legitime fuerit petitum; justè autem non petitur, si contrahens juri suo cessit simplice sua promissione vel voto. Et si contracto jam matrimonio mutuo consensu possunt cedere huic juri perendi, & ex ea cessione neuter obligetur alteri reddere debitum, poterit quoque à principio hæc cessio fieri. Neque enim qualibet exemptio à redditione debiti est contraria obligationi reddendi debitum ortæ ex matrimonio; aliàs contracto matrimonio ob unius fornicationem non liceret divortium, vel etiam ingressus in religionem ex consensu alterius. Neque etiam qualibet obligatio vitandi generationem prolis est contraria matrimonio, sed solum obligatio iniquè vitandi generationem. Ita Castrop. *num. 7.* Porro apposita conditione contraria matrimonio ab uno contrahentium, altero eam non acceptante, non vitari contractum, censent cum Covar. *in 4. p. 2. c. 3. §. 1. num. 11.* aliqui; eò quòd seclusa illa acceptance, nullam vim habeat, & rejecta censeatur. Contrarium censet Castrop. *num. 9.* cum Sanch. *l. 5. d. 13. num. 3.* eò quòd licet ab altero rejecta fuerit, nullamque habeat vim obligandi, denotet tamen apponentem illam velle sub illa tantum consentire, & non aliter; adeòque matrimonium non subsistat ex defectu consensûs.

*Quest. 175. An & qualiter tempus adjunctum contractui matrimonii per verba de presente vitiet illud.*

**R**esp. non vitiat, sed suspendit matrimonium non secus ac conditio de futuro, usque dum adveniat; quia in utroque casu non est consensus perfectus ante adventum temporis, v. g. contrahis cum Maria in Quadragesima per verba de presente, illamque accipis in uxorem à die Paschatis. Ex hac assignatione hujus temporis, nimirum Paschatis constat, te nolle Mariam ante habere in uxorem, bene autem adveniente Paschate, Castrop. *p. 11. §. 5. n. 1.*

*Quest. 176. Causa seu demonstratio matrimonii, an obset ejus valori.*

**R**esp. Causa vel demonstratio (sive ea sit honesta, sive turpis, vel etiam contraria substantiæ matrimonii, sive vera, sive falsa, ut Pirh. *b. r. n. 29.* citato Sanch. *l. 5. de matr. d. 19. n. 2.*) per se nunquam suspendit aut vitiat matrimonium; sed semper habetur pro non adjecta, v. g. contrahis cum Maria, quia credis esse uobilem, vel virginem, sterilem &c. quæ talis non est, aliàs non contra&urus, matrimonium tenet; quia causa nobilitatis, virginitatis, sterilitatis &c. existimata non est finis & objectum consensûs, sed causa illius motiva, cujus error etiam in aliis contractibus sit sufficiens causa dissolutionis; Secus tamen est in matrimonio, in quo solus error personæ jure naturæ illud vitiat, quia est error consensûs in objectum; & jure positivo error in conditione libertatis, tamen si sit causa motiva. Unde non refert, quod non contraheret, si sciret talem demonstrationem vel causam non subesse; quia voluntas illa habitualis non influit, nec ponit aliquid in re; cum ea non obstante, modo actu & absolute consentiret, quamvis, si sciret, non consentiret, sed voluntatem mutaret, quod tamen nihil operatur in ordine ad actum presentem. Pirh. *loc. cit.* Contrarium est, dum est error circa personam vel conditionem libertatis; ut si dicas: contraho tecum, quæ es filia primogenita Petri, vel quæ est libera; tunc enim si non est primogenita Petri, vel libera, matrimonium est irritum, non ratione falsæ demonstrationis seu causæ, sed propter errorem personæ vel talis conditionis; cum etiam tali demonstratione, seu causâ non adjectâ, matrimonium ex tali errore contractum sit nullum.

*Quest. 177. An & qualiter modus adjectus contractui matrimonii illud suspendat aut vitiet.*

**I.** Resp. primò: Si modus non est contrarius substantiæ aut bonis matrimonii, non suspendit aut vitiat illud. Sanch. *loc. cit. num. 5.* Pirh. *num. 30.* cum communi. Modus enim in hoc differt à conditione propriè dicta, quòd hæc suspendat actum, cui apponitur, ita ut is ante illam impletam non sit validus; modus verò non suspendat actum, sed is statim valet, & vim suam habet, etsi nondum talis modus impletus sit. *l. cum ab eo. ff. de contrah. emp.* ita

ita tamen, ut alter contrahens obligatus maneat ad præstandum modum, quo contractus est initus, v. g. si quis dicat: dono tibi equum, ut hoc vel illud facias, statim valet donatio, & donatarius seu acceptans illum tenetur implere modum. Unde modus talis, si non obstat substantiæ vel bonis matrimonii, relinquit illud validum.

2. Resp. secundò: Si verò modus appositus sit contrarius substantiæ matrimonii vel ejus bonis, vitiari per hoc & reddi matrimonium nullum, tenent Sanch. L. 5. d. 19. num. 5. Cón. d. 29. du. 4. concl. 6. Laym. L. 5. tr. 10. c. 7. circa finem. Pirh. n. 30. Covar. l. c. 3. §. 1. num. 7. eò quòd generatim loquendo in omnibus contractibus, dum actu contrahens vult alterum obligari ad præstandum quidpiam repugnans ipsi substantiæ contractus satis significat, se non habere veram & sinceram voluntatem contrahendi; sine vera autem voluntate seu consensu contractus non subsistat. Contrarium tamen tenent Castrop. loc. cit. num. 3. citans pro se Sotum in 4. d. 29. q. 2. a. 1. & Pet. Ledes. q. 47. a. 5. du. 3. eò quòd modus consensus non suspendat, sed potius perfectum supponat; at consensu prælitò seu matrimonio perfectè constituto, nequit ex ullo modo dissolvi. Hinc si contrahas cum Maria, appposito eo modo

seu ea intentione, ut ipsa obligetur vitare prolem sumpto sterilitatis veneno, valere ait Castrop. matrimonium ipsa non obligatà; quia illius obligationem non postulasti ut conditionem ad consensus, sed tuo consensu voluisti Mariam excitare ad eam obligationem subeundam, quam ipsa contractu admissò, prudenter rejecit, atque ex his patet, qualiter dignoscendum, an sub conditione propriè dicta seu suspensiva, an sub modo seu conditione non suspensiva sit contractum; attendendum nimirum, an v. g. donator voluerit donationem non ante esse validam, ac firmam, quam conditio sit impleta, & tunc præsumi esse appositam conditionem propriè dictam. An verò voluerit, ut statim valida sit donatio, sed donatarius obligatus sit ad aliquid postea faciendum, & tunc censeri debet sub modo esse factam. Pirh. nu. 32. Laym. loc. cit. num. 11. De cetero in hoc est paritas inter modum impossibilem vel turpem, non repugnantem substantiæ matrimonii, v. g. contraheo tecum ea lege, ut dones mihi montem aureum, vel ut patrem tuum interficias; & inter conditionem impossibilem vel turpem, quòd habeatur pro non adjecta, & relinquat matrimonium in suo valore.

## TITULUS VI.

### Qui Clerici & voventes matrimonium contrahere possunt,

*Quest. 178. Clerici qui, & sub quibus pœnis prohibeantur contrahere matrimonium.*

**R** Esp. Clericos non tantum solâ privâ tonsurâ, sed & Ordinibus minoribus initos circa dispensationem validè & licitè posse contrahere matrimonium, habet communis. Ita tamen, ut, si beneficiati sint, eo ipso amittant beneficia. Si verò Ordinibus majoribus seu sacris insigniti invalidè contrahant matrimonium, insuper excommunicationem & irregularitatem ipso facto incurrunt, pro ut constat ex c. 2. h. t. & Clem. unic. de consanguin. & affin. à quibus tamen pœnis ab Episcopo absolvi, & officio suo restitui possunt, dum dimissa uxore longam pœnitentiam egerint, vitamque laudabilem in continentia duxerint, ut dicitur cit. clem. & c. 2. & 4. h. t. Verum de his omnibus fusiùs & accuratius à me dicta, L. 3. de Cler. conjug. & sparsim in Indice ejusd. lib.

*Quest. 179. Quæ vota simplicia impediant contrahere matrimonium.*

**R** Esp. Qualiter votum ingrediendi religionem, suscipiendi Ordines, impediant matrimonium contrahi, dictum est supra q. 108. quòd Lectorem remitto.

*Quest. 180. Votum simplex perpetuæ castitatis an & in quo casu dirimat matrimonium.*

**R** Esp. primò; Votum simplex castitatis unâ cum cæteris duobus constituens verum reli-

giosum ( quale est, quod emittitur in Societate JESU post biennium novitatus, dirimit matrimonium contrahendum, ut constat ex Bulla Gregor. XIII. Ascendente Domino, non tamen hoc votum dirimit matrimonium contractum ratum tantum. Laym. loc. cit. nu. 2. cum Sanch. L. 5. mor. cap. 1. num. 29. Valquez. 1. 2. d. 165. num. 10.

2. Resp. secundò: Unicum præterea casum, in quo votum simplex castitatis emissum extra religionem dirimat matrimonium contrahendum adducit Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. num. 5. dum nimirum uxor in sæculo continentiam vovens marito dedit licentiam suscipiendi Ordines; tunc enim viro defuncto ne quidem validè ad secundas nuptias transire possit. Citat pro hoc c. quia sunt. dist. 38. (quod est Gregor. I. l. 11. epist. 59.) & ibi Gl. v. fuisse. Item c. seriatim. dist. 32. Abb. in c. constitutus. de convers. conjug. num. 6. Azor. Tom. 1. l. 13. c. 14. q. 11. Sanch. l. 7. de matr. d. 40. Palud. in 4. d. 38. q. 2. a. 5. contra Sotum. l. 7. de just. q. 5. a. 3. solut. secund.

*Quest. 181. An votum solenne castitatis, nimirum emissum vel in professione religiosa, vel susceptione Ordinum sacrorum ( præter quæ duo non dantur alia vota solennia. c. unic. de voto. in 6. ) an & qualiter dirimat matrimonium contrahendum.*

**R** Esp. ad primum: Votum solenne emissum in religione approbata dirimit matrimonium

niium